

fuit. Arguit autem severè Rubeum, qui Indictione sexta fuit, quia Indictio hujusmodi incidit in annum (quod Rubeus ipse concesserat) CC. XLVIII, & Indictio eadem anno precedenti cœperit à Septembri, ut in Indictionibus solenne esse, nullus inficiatur; quare cum Concilium illud Romanum ceptum dicatur VIII. Kal. Octobris, consequens fit, ut Rubeus, vel Synodum illam celebratam dicat Indictione VII., vel si id factum Indictione sexta pergat defendere, concedat id actum Indictione sexta anno precedenti CCCXLVII. Si autem primum asserat, recedat oportet à charactere chronologico sibi probato, qui suæ sententiæ principale est fundamentum; si verò secundum dicat, admittat Agapitum, quem anno ipso CCCXLVIII. subrogatum Severo dicit, interfuisse Romano Concilio anno precedenti CCCXLVII. Quo eodem anno item coegetur concedere, Sardicensem, & Romanas Synodos factas, in quibus diversorum nominum, earundem tamen Sedium Episcopi simul penè, ac eodem tempore convenerint. Malè insuper, ait, dubitatum esse de Grati sede, cum ex Actis Sardicensibus constet, illi subjectos fuisse Africanos Episcopos, & eundem anno sequenti præfuisse Carthaginensium Synodo, in qua Canone quinto de Sardensi mentio habetur. Adjiçit Protasium Mediolanensem perperam collocatum à Parvino ante Julium, cum, repugnantibus Actis Sardicensium Concilii, Dionysium sedisse eo tempore ponat, quem præcesserit Euforgius successor Materni, cujus prædecessor Protasius Diocletiani temporibus vixerit. Fortunatianum denique malè Fortunatum dici ait, ex aliquibus Codicibus, cum si mendorum sit habenda ratio, tot Episcopos eodem tempore sedisset, quot mendis ab imperiis Exscriptoribus veri Episcopi nomen vexatum fuerit. Hæc ferè Baronius, cui an quidquam reposuerit Rubeus, ignoro.

IV. Funi eadem trabendo pro suo instituto manum deinde admoveat in insigni, ac celeberrimo suo Opere Bollandus, & socii, Acta Sanctorum sincera à non sinceris discernentes, & incredibilem Ecclesiasticæ eruditionis copiam Orbi Christiano exhibentes. Quæstionem diversis in locis tractant, at præcipuè ad primam ipsam diem Februarii, quæ S. Severi Natali consecratur, nec non Sanctarum Vincentiæ ejus uxoris, & Innocentiæ filiæ. Laudato ex manuscriptis Martyrologiis S. Severi cultu, advertunt in sibi visis antiquis Calendariis, memoriam S. Severi Episcopi consignari die prima Januarii, & alicubi illud legi; S. Severi cum Sociis suis. Arguunt itaque id factum fuisse confuso Severo Episcopo, cum altero ejusdem nominis Martyre Ravennate, de quo Rubeus ipse libro secundo, ubi hunc passum dicit sub Maximiano Herculeo, ac ejus corpus servari in Orbito, quem Herbarum vetus plerisque creditum dicit, ibique Maurolycum accusat, qui Severum hunc Martyrem, Episcopum etiam dixerit, & Ferretum, qui eundem cum altero, qui fuit Ecclesiæ Archiepiscopi ex fratre nepos. Hinc Bollandus ait; an non suspicari fas sit, Episcopum illum fuisse, sed cum ejus Acta laterent, posterioris Severi Confessoris celebriorem conservatam memoriam? At severè pronunciat Ughellus Tomo secundo Italix Sacre, mendacium esse asserere plures Severos. Non asserimus quidem, sed quo argumento severam suam censuram firmer Vir doctissimus, non satis perspicimus. Fuisse certè celebrem jam olim opinionem de S. Severo Episcopo Ravennate Martyre, patebit inferius ex Vita per Luidolphum, cui cap. 2. num. 5. ita Ravennas Monachus respondet: Severus, cujus tu vitam scire desideras, non fuit Martyr, sed Confessor. Ergo de Episcopo ita percun-

ctatus erat Luidolphus, ut Martyrem eum existimaret, siquidem quadret interrogationi responso. Etatem verò Severi Episcopi, de quo nunc differimus, diffiniri posse credunt Socii doctissimi sequenti modo; creatum Episcopum, ut in altera ex ejus vitis, quam exhibent, & scriptam censet seculo decimo, vel undecimo cap. 2. num. 6. Constantio IV., & Constante III. A. A. Cos., sive anno Christi CCCXLVI., consecratum Romæ à S. Julio Papa, cujus is decimus erat annus, anno sequenti interfuisse Concilio Sardicensi Rufino, & Eusebio Cos., uti ex subscriptionibus patet. Demum adfuisse funeri S. Geminiani Mutinensis Episcopi multis post annis, quandoquidem tempore Siricii Papæ, qui anno CCCLXXXV. ad Pontificatum evectus est, adhuc in vivis fuit Geminianus, ut ostenderant ad diem trigesimam primam Januarii. Rectè igitur ajunt consecisse Haræum, circa annum Christi CCCXC. decessisse Severum.

V. His statutis expressè impugnant Rubei argumenta ex eo, quod cum tribus characteribus Chronologicis affixis consignentur Acta asserti Concilii Romani, cui interfuisse Agapitus dicitur, duo contradicunt Rubei sententiæ, nam annus Imperii Augustorum convenit anno Christi CCCXL., Consules conveniunt anno CCCXXXVII. Pleraque à Rubeo, absque Auctore asserta quærentur. Quod autem successisse Marcellino Severum ille asseruerat, non inde ajunt consequens fieri Agapitum minime interfuisse Synodo Romana, aut Marcellinum eidem interesse debuisse; unde enim, quærent, constat, Marcellinum, quod scribit Rubeus, satis diu vixisse in Episcopatu? potuit sanè post primam illam sub Julio Romanam Synodum, obiisse Agapitus, atque ipse quoque haud multò post ejus successor Marcellinus. Alta in hanc rem congerunt, addentes potuisse esse antiquiorem Marcellinum, cui successerit alter Severus aliquis, & fortè Severus Martyr, de quo supra, quod tamen necessarium non arbitrantur ad S. Severi stabilendam ætatem.

VI. Eadem ferè agunt ad diem sextamdecimam Martii de S. Agapito agentes, & Rubeum accusant ob multiplicatos gratis Agapitos, decretisque temporum spatii, quibus Episcopi Ravennates sederunt, absque ullo teste, quæ quidem incerta futura fore asserunt, quousque Rubeus, vel quem dicit materiam suppeditasse, Ferretus, ejus rei documenta in medium proferat, excipientes contra Recentiorum Catalogos, & Fabrum accusantes, qui eadem cum Rubeo senserit. Fatentur tamen magna apud se auctoritatis esse Ursianæ Ecclesiæ nostrorum opus, ubi Marcellinum post Agapitum, & post Marcellinum Severus ponitur. Id autem consistere ajunt, licet Marcellini Episcopatus ad paucos menses esset contrahendus, qui alias extendi potuit, salvo Romano Concilio, cui Agapitus interfuerit anni CCCXXXVII. usque ad quinquennium, sexennium, septennium, quibus Marcellinus alicui Synodo subscripserit.

VII. Ad idem argumentum etiam pertinet, quod habent ad diem trigesimam primam Januarii, de S. Geminiano Episcopo Mutinensi tractantes. Ajunt enim, quod, si vera sunt, quæ de S. Geminiano narrantur ad Attilæ miraculum spectantia, necesse est duos fuisse Geminianos, quos Scriptor Vita, quam exhibent, in unum conflaverit. Primus inquit, is esse videtur, qui Ambrosii Episcopi Mediolanensis, Bassiani Laudensis, & cæterorum Episcoporum Mediolani in Synodo congregatorum adversus Jovinianum, sectatoresque Hæreticos ad Siricum Papam epistolæ, quæ septima est libri primi Epistolarum S. Ambrosii, ita subscripsisse per Presbyterum reperitur;